This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

P A
6792
W54
1906
MAIN

UC-NRLF

$B 14 060

YC 00607

EXCHANGE

76B z.v
W699

UNIV. OF
CALIFORNIA EXCHANGE

De Varronianae doctrinae apud fastorum scriptores vestigiis.

Dissertatio philologica

quam

ad summos in philosophia honores

rite impetrandos

amplissimo in

Universitate Fridericia Guilelmia Rhenana

philosophorum ordini

tradidit

Henricus Willemsen

Crefeldensis.

Bonnae
MCMVI

UNIV. OF
CALIFORNIA

Dissertationem ad ordinem rettulit

Antonius Elter p. p. o.

UNIV. OF CALIFORNIA
PA 6777
W54
19..
MAIN

I. De Varrone antiquitatum Romanarum investigatore.

Omnes qui studiis antiquitatum Romanarum se dederunt viros et doctrina et laude M. Terentius Varro superat, qui summa industria varias huius disciplinae quaestiones pertractavit, ut originem institutorum publicorum morumque vitae aut linguae rationes patefaceret. Quod opus ex doctrina unius viri quamvis doctissimi oriri non poterat, sed libri aliorum virorum, qui de isdem rebus egerant, permulti a Varrone adhibiti sunt. cum autem vir ille πολυγραφώτατος totam antiquitatem amplexus esset, scriptores posterioris aetatis, ut mores maiorum cognoscerent, illius ante omnes libros adierunt eiusque doctrinam summis laudibus extulerunt (cfr. Dion. Hal. II 21,2). attamen non omnes viri docti, qui Varronis nomen afferunt, eius libros inspexerunt. nam cum multi viri primi et secundi p. Chr. saeculi libros Varronianos exscripserint, scriptores inferiorum saeculorum his auctoribus doctrinam Varronianam debent operibus illius ipsius non inspectis, sed Varronis nomine quasi ornamento apposito. quo factum est, ut omnes fere Varronis libri perierint.

Etiam fastos Romanos Varro tractavit, postquam ante eum de iis Fulvius Nobilior et M. Iunius Gracchanus et L. Cincius[1]) disputaverunt, quorum libris Varro usus est. atque uberrima doctrina de fastis in Antiquitatum libris XLI egit, ex quibus libri XXV priores res humanas, XVI libri posteriores divinas continebant. in prioris autem partis libris XIV-XIX Varro de temporibus dis-

[1]) De Cincii aetate Wissowa, Realencyclopädie p. 2555 recte iudicavit.

573210

UNIV. OF CALIFORNIA

seruerat (cfr. August. civ. dei VI 3,1 et Non. p. 92 s. v. quadrifariam). atque postquam Krahner et Kettner idem temptaverunt, Gruppe in Hermae vol. 10 p. 51 l. XIV in prooemio de aevo, l. XV de saeculis, l. XVI de lustris, l. XVII de annis, l. XVIII de mensibus, l. XIX de diebus actum esse recte demonstravit, quamquam Mirsch p. 45 horum librorum argumenta alia ratione disponere conatur. ex libris autem rerum divinarum magni momenti l. VIII est, qui inscribitur de feriis, et l. XIV-XVI, quorum fragmenta magno cum studio collegit R. Agahd in Fleckeiseni annalium supplemento 24 a. 1898. illorum fragmenta P. Mirsch (de M. Terenti Varronis Antiquitatum rerum humanarum libris XXV, Lipsiae 1882) composuit. praeter libros Antiquitatum „libri IV de vita populi Romani" multa continebant, quae ad nostram quaestionem pertinent. fragmenta collecta habes ab H. Kettnero (Varronis de vita p. R. quae exstant, Halis 1863).

Maximam partem Varronianae de fastis doctrinae habemus in l. VI Linguae Latinae[1]), qui „vocabula continet temporum et earum rerum, quae in agendo fiunt vel cum tempore aliquo coniuncta dicuntur" (A. Spengel p. XXXIX). atque priore huius libri parte Varro fastos explicat (§ 3) „dicemus primo de temporibus quaeque per ea fiunt, sed ita ut ante de natura eorum," postquam disseruit de naturalibus dierum discriminibus (§ 12) „naturali discrimini civilia vocabula dierum accesserunt. dicam prius qui deorum causa, tum qui hominum sunt instituti." sequuntur feriae secundum ordinem temporis enumeratae, atque § 27 orditur altera pars „de his diebus nunc iam qui hominum causa constituti, videamus." denique notae et nomina mensium expli-

[1]) R. Kriegshammer, de Varronis et Verrii fontibus, comment. philol. Ienenses 1903.

cantur.

Nemo dubitare potest, quin haec doctrina ex ampliore Varronis opere hausta sit. nam quamvis exiles sint explicationes nominibus additae, tamen controversiae saepe tanguntur, ut viri est, qui has res iam prius copiosius tractaverit. quo fit, ut verba l. L. hic illic non facilia sint intellectu. ipse autem nos Varro huius epitomes originem nominat (§ 13) „nam et Lupercalia februatio, ut in Antiquitatum libris demonstravi" et (§ 18) „aliquot huius diei vestigia fugae in sacris apparent, de quibus rebus Antiquitatum libri plura referunt." hic igitur fons omnibus praeferendus esse videtur, sed natura eius perspecta cauti erimus.

Atque primum quidem libri de Lingua Latina pessime traditi sunt. saepe enim a scribis verba corrupta aut omissa sunt, ut inter editores multis locis dissensio sit. ferias enumeratas si cum fastis, Maffeanis e. g., conferemus, in Varronis libro complura deesse apparebit:

mense	Februario	Regifugium,
„	Aprili	Floralia,
„	Maio	omnia,
„	Junio	Matronalia,
„	Julio	Lucaria,
„	Decembri	Consualia,
„	Aprili	Cerealia et Palilia permutato ordine afferuntur.

haec igitur epitome sine cura facta est atque certe non omnia scribis, sed etiam auctori quaedam debentur, cuius levitate feriae mensis Maii exciderunt. quibus rebus cognitis huic l. L. loco non nimis tribuemus, cum suspicio exsistat Varronem etiam in feriis nominibusque mensium explicandis eadem levitate usum esse.

II. De Varronianae doctrinae fontibus posterioris aetatis praecipuis.

Inter scriptores posterioris aetatis, qui Varronis de fastis doctrinam nomine praeposito tradunt, praecipue nominandi sunt hi:

a) Censorinus, qui a. 238 p. Chr. librum „de die natali" ad Q. Caerellium scripsit. qui liber orsus a procreatione de diversis gradibus aetatis et de divisione temporis agit, cuius partis fontem fuisse Suetonii „de anno Romano" librum Reifferscheid, Schanz, Weber demonstraverunt. Suetonius autem Varronem secutus est, nam ter decies huius nomen a Censorino affertur nempe Suetonio duce: c. 14 de gradibus aetatis humanae, c. 17 (coll. 14,6) de saeculis, c. 20,2 de anno Romuli, c. 21 de intervallis temporis, c. 22,10 de mensium nominibus. simul autem discimus a Varrone omnia tractata esse, quae ad temporis divisionem et rationem pertinent (cfr. Cens. 21,5).

Nuper Th. Litt[1]) Censorini auctoritatem labefactare studuit collatis Macr. I 16 et Varr. l. L. VI cum Cens. 22,10. quod non iure fecit, cum difficultates minimae, quas profert, facile tollantur. optimo autem iure Gruppe l.l. dixit ex libro Censorini imaginem Varronis Antiquitatum librorum XIV-XIX fingi posse Censorinique auctorem ordinem Varronianum in digerendis temporibus secutum esse. unum vero ex his libris Cens. 17,15 affert „Varro libro Antiquitatum duodevicesimo ait."

b) Macrobius, qui libro primo Saturnalium varias quaestiones ad rationem temporum et fastos pertinentes tractat et in multis rebus cum Censorino consentit,

[1]) ‚de Verrii Flacci et Cornelii Labeonis Fastorum libris', Bonnae 1904.

nisi quod Macrobius copiosius de singulis quaestionibus agit multis virorum doctorum opinionibus allatis. quem auctorem in usum suum vocavisse Litt l.l. demonstrare studuit Cornelii Labeonis Fastos, hunc autem ex Verrii Flacci Fastis hausisse, ita ut omnis Macrobii doctrina ad praeclarissimum illum aetatis Augusti scriptorem referenda sit. de Verri Flacci Fastis hic non disputabo.[1]) at vix Litt suam opinionem probavit, qui p. 8 et 20 locos ad fastos pertinentes ex Macrobio et Festo haustos comparavit, ut eos plane consentire appareret, qui autem eius modi sunt, ut quovis Fastorum libro contineri debuerint neque ullius discrepantiae locus esse potuerit. quae doctrina si ex Verrii opere fluxit, exspectare debemus e. g. illud de mensibus caput ab auctore Macrobii ex loco Verriano haustum esse, quo de mensium nominibus agebatur. at huic opinioni locus gravissimus repugnat I 12,15 „non tamen negat Verrius Flaccus hoc die postea constitutum . . " quae verba Verrius non scripsit ad explicandum nomen Aprilis mensis, sed ad primum eius diem, sicut in Fast. Praen. huic diei adnotatio adscripta est.

Etiam Macrobius satis magnam partem doctrinae Varronianae tradit: I 3 „de principio ac divisione civilis diei" ter nominat Varronis librum rerum humanarum, quem de diebus scripsit (i. e. l. XIX), I 9,16 de Iano agens l. V rerum divinarum, I 11,5 in veriloquio verbi „instauraticii" Varronem secutus est, I 12,13 de Aprili, I 13,20 de intercalatione et nundinis disserens etiam Varronis opinionem tradit, I 15,18; 21 in Idibus et Kalendis tractandis, I 16,18 ad explicanda verba „mundus cum patet" Varro auctor adhibetur.

c) Multi minoris momenti sunt Lydi de mensibus

[1]) cfr. p. 28.

libri IV (cf. Litt p. 21). qui Cornelium Labeonem auctorem secutus in palea nonnulla grana doctrinae Varronianae nobis servavit, praesertim illis locis, ubi de stellarum motu agit: IV 2, 16, 48, 51, 53, 76, 135, 143, 147, 154.

Praeter hos fontes gravissimos multi aliorum scriptorum libri adhibendi sunt: Dionysii Halicarnasensis[1])Plutarchi,[2]) Servii[3]) all. quae dicenda sunt de iis scriptoribus, qui Varronis de dis doctrinam tradunt, habes apud Agahdium.

III. De Varronis libris Antiquitatum XIV—XIX.

In hoc capite nonnullas quaestiones ad illos libros pertinentes tractabo.

Varro libro XIX de diebus agens diem naturalem et civilem tractavit. inter alia autem de diei civilis partibus disputavit, cuius rei argumento sunt l. L. VI 3, VII 72, qui loci inter se consentiunt et ad eundem fontem recedunt, Cens. 24, Macr. I 3, Isid. V 30 et 31, Placid. libr. Rom. p. 34. quae nomina a Varrone collata sunt, ut ea quae apud veteres poetas passim inveniebantur, illustrarentur (cfr. Cens. 24,1). more suo Varro Graecos et gentes Italiae respicit, nam Praeneste, Sabini, Amiternini, Lanuvini, Reate nominantur. ex locis autem

[1]) Kiessling de Dionysii Halicarnasei Antiquitatum auctoribus Latinis, Lipsiae 1868.

[2]) Glaesser de Varronianae doctrinae apud Plutarchum vestigiis. Leipziger Stud. 4,157. A. Sickinger de Linguae Latinae apud Plutarchum vestigiis. Friburgi 1883. Litt, Mus. Rhen. 59, 603.

[3]) cf. Samter Quaestiones Varronianae, Berolini 1891.

diversis collatis apparet omnes ad eundum auctorem Varronem redire, cuius Antiquitates quin omnem hanc doctrinam praebuerint non est dubium. sed non l. L. libri optimam imaginem loci illius Antiquitatum reddunt; nam l. L. VI 4 mane principium diei esse contendit,[1]) cum Macrobius et Censorinus a media nocte incipiant, quod etiam Varro in Antiquitatibus fecit teste Gellio (III, 2), cum in l. L. libro locutionem cotidianam sequeretur, sicut etiam nos diem incipimus a sexta hora, non a media nocte. deinde Varro non omnia discrimina explicat quae Macrobius Censorinusque. quamquam fieri potest, ut posteriora tempora hic illic accuratius distinxerint, tamen multo veri similius est Varronem haec omnia nomina attulisse et in l. L. solita levitate usum esse; nam ipse apud Gell. l.l. de prima face loquitur, quam in l. L. libro non commemorat. a posteris autem doctrina Varroniana aucta est, quod ex Vergilii nomine elucet. sed gravius videtur, quod Varro in explicationibus non semper cum reliquis facit, ut de vespero, quem Cens. ante, Varro post exortum stellae esse dicunt. at hic Cens. errorem sequitur, qui partem diei vesperam vocet ex stella eo tempore nondum exorta.[2]) neque ordo idem est cum Varro cum Placido habeat: crepusculum — vesperum; Cens. et Isid. vesperum — crepusculum. potest autem esse, ut is ordinem mutaverit, qui post Varronem hanc rem tractavit.

Inter Macrobium et Censorinum quamquam vix dissensio est, tamen eundem auctorem secuti non sunt, sed Censorinus ex Suetonii, Macrobius ex Labeonis libris hausit.

Etiam Verrius, ut ex paucis fragmentis videre licet,

---

[1]) quod etiam Verrius dicit, ita ut de eius auctore dubitari nequeat.

[2]) forsitan apud Cens. 24,4 scribendum sit: ab ortu.

Varr. l. L. VI.	Cens. c. 24.
	incipiam a media nocte, quod tempus principium et postremum est diei Romani.
	tempus quod huic proximum est vocatur de media nocte.
	sequitur gallicinium, cum galli canere incipiunt.
	dein conticinium, cum conticuerunt.
	tunc ante lucem,
	et sic diluculum, cum sole nondum orto iam lucet,
4. Diei principium mane[1])quod tum manat dies ab oriente, nisi potius quod bonum antiqui dicebant manum,ad cuiusmodi religionem Graeci quoque, cum lumen affertur, solent dicere φῶς ἀγαθόν.	secundum diluculum vocatur mane, cum lux videtur sole orto.
[meridies ab eo quod medius dies; D antiqui, non R in hoc dicebant, ut Praeneste incisum in solario vidi] (primo loco hoc scriptum est).	post hoc ad meridiem,
	tunc meridies, quod est medii diei nomen,
	inde de meridie.

[1]) P 125,14: Mane a diis Manibus dixerunt. nam mana bona dicitur. 122,4: Matrem Matutam antiqui ob bonitatem appellabant et maturum idoneum usui et mane principium diei et inferi dii manes, ut suppliciter appellati bono essent.

Macr. I 3.	Isidori Orig. V 30.
(de eadem re agit nonnullis Vergili versibus allatis.)	13. Partes diei sunt tres: mane, meridies et suprema (cf. 1).
12. primum tempus diei dicitur mediae noctis inclinatio. deinde gallicinium,	
inde conticinium, cum et galli conticescunt et homines etiam tum quiescunt. deinde diluculum, id est, cum incipit dies dignosci.	
inde mane, cum dies clarus est. mane autem dictum aut quod ab inferioribus, id est a manibus, exordium lucis emergat, aut quod verius mihi videtur, ab omine boni nominis. nam et Lanuvii mane pro bono dicunt sicut apud nos quoque contrarium est immane. ut immanis bellua vel immane facinus et hoc genus cetera pro non bono.	14. mane lux matutina et plena nec iam crepusculum. et dictum est mane a mano; manum enim antiqui bonum dixerunt. quid enim melius est luce? alii mane existimant vocari a manibus, quorum conversatio a luna ad terram est, alii putant ab aere, qui manus, id est clarus atque perspicuus.
deinde a mane ad meridiem, hoc est ad medium diem.	15. meridies dictus quasi medidies, hoc est medius dies, vel quia tunc purior dies. merum enim purum dicitur.
inde iam supra vocatur tempus occiduum	

Varro.	Cens.
5. suprema [1]) summum diei, id ab superrimo. hoc tempus XII tabulae dicunt occasum esse solis; sed postea lex Plaetoria id quoque tempus esse iubet supremum, quo praetor in comitió supremam pronuntiavit populo. (VII 51). secundum hoc dicitur crepusculum a crepero.[2]) id vocabulum sumpserunt a Sabinis, unde veniunt Crepusci nominati Amiterno, qui eo tempore erant nati, ut Lucii prima luce in Reatino. crepusculum significat dubium, ab eo res dictae dubiae creperae, quod crepusculum dies etiam nunc sit an iam nox, multis dubium. (cfr. VII 77). 6. nox quod ut Catulus ait omnia nisi interveniat sol, pruina obriguerint, quod nocet, nox, nisi quod Graece νὺξ nox.	hinc suprema. quamvis plurimi supremam post occasum solis esse existimant, quia est in XII tabulis scriptum sic „solis occasus suprema tempestas esto;" sed postea M. Plaetorius tribunus plebiscitum tulit, in quo scriptum est „praetor urbanus qui nunc est quique posthac fuat duo lictores apud se habeto iusque ad supremam;" ad solem occasum, inter cives dicito."
cum stella prima exorta (eum Graeci vocant ἕσπερον, nostri vesperuginem[3]) ut Plautus „neque vesperugo neque vergiliae occidunt") id tempus dictum a Graecis ἑσπέρα, Latine vesper, ut ante solem ortum quod eadem stella vocatur iubar,[4]) quod iubata, Pacui dicit pastor „exorto iubare, noctis decurso itinere", Ennius „Aiax, lumen iubarne in caelo cerno?" (cfr. VII 50, 76.)	post supremam sequitur vespera, ante ortum scilicet eius stellae, quam Plautus vesperuginem, Ennius vesperum, Vergilius hesperon appellat.

[1]) F. 305, 27 s. v. supremum „alias extrem(um significat ut) in legib. XII 'solis occasus supre(ma tempestas esto." [2]) P. 71,12 s. v. decrepitus „crepusculum extremum diei tempus." [3]) P. 368,16 Vesperugo vesper stella. Plautus „nec vesperugo nec vergiliae occidunt." [4]) P. 104,2 lubar stella, quam Graeci appellant φωσφόρον, id est lucifer, quod splendor eius diffunditur in modum iubae leonis.

Macr.	Isid.	Placid. libr. Rom.p.34
et mox suprema tempestas, hoc est diei novissimum tempus, sicut expressum est in duodecim tabulis „solis occasus suprema tempestas esto."	16. suprema est postrema pars diei, quando sol cursum suum vertit in occasum: dicta quod superest ad partem ultimam diei. V 31. 1. nox a nocendo dicta, eo quod noceat oculis. 4. noctis partes septem sunt, id est vesperum, crepusculum, conticinium, intempestum, gallicinium, matutinum, diluculum.	Noctis partes hae: crepusculum, vesperum, concubium, tonocinium, intempesta, gallicinium, diluculum et crepusculum matutinum. intelliguntur autem hoc modo: crepusculum dicitur id est creperum quod dubium dicimus inter lucem et tenebras.[5]
deinde vespera, quod a Graecis tractum est. illi enim ἑσπέραν a stella Hespero dicunt, unde et Hesperia Italia, quod occasui subiecta sit, nominatur.	5. vesperum ab stella occidentali vocatum, quae solem occiduum sequitur et tenebras sequentes praecedit. de qua Vergilius. . .	vesperum oriente stella, cuius nomen est. (p. 28. iubar splendor solis vel lunae vel stellarum, quod in modum iubarum radii ipsorum extenduntur).

[5]) cfr. p. 13 „Creperae" p. 15 Crepero."

Varro	Cens.
	inde porro crepusculum, sic fortasse appellatum, quod res incertae creperae dicuntur idque tempus noctis sit an diei incertum est. post id sequitur tempus, quod dicimus luminibus accensis, antiqui prima face dicebant; deinde concubium, cum itum est cubitum, exinde intempesta,[1]) id est multa nox, qua nihil agi tempestivum.
7. inter vesperuginem et iubar dicta nox intempesta, ut in Bruto Cassii quod dicit Lucretia „nocte intempesta nostram devenit domum." intempestam Aelius dicebat cum tempus agendi est nullum, quod alii concubium appellarunt, quod omnes fere tunc cubarent; alii ab eo quod sileretur silentium noctis, quod idem Plautus tempus conticinium, scribit enim „videbimus, factum volo redito conticinio" (cf. VII 72, 78, 79).	
	tunc ad mediam noctem dicitur et sic media nox.

[1]) P. 110,19: intempestam noctem dicimus pro incertiore tempore, quia non tam facile noctis horae quam diei possint intellegi. tempestatem enim antiqui pro tempore posuere.

Macr.	Isid.	Placid.
	7. crepusculum est dubia lux, nam creperum dubium dicimus, hoc est inter lucem et tenebras.	
	8. conticinium est, quando omnia silent. conticescere enim silere est.	conticinium dicimus, quando omnes silent, conticescere enim silere est.
ab hoc tempore prima fax dicitur. deinde concubia,		
et inde intempesta, quae non habet idoneum tempus rebus gerendis.	9. intempestum medium et inactuosum noctis est tempus, quando nihil agi potest et omnia quieta sunt sopore. nam tempus per se non intellegitur, nisi per humanos actus. medium autem noctis actu caret (10).	intempesta[2]) dictum est propter gallos lucis praenuntios.
	11. gallicinium[3]) propter gallos lucis praenuntios dictum.	
	12. matutinum est inter abscessum tenebrarum et aurorae adventum: et dictum matutinum, quod hoc tempus inchoante mane sit.	crepusculum matutinum inter abcessum noctis et diei adventum.
	43. diluculum quasi iam incipiens parva diei lux. haec et aurora, quae solem praecedit.	

[2]) immo gallicinium. [3]) V 30,4.

haec verba vasto suo operi adiunxit. qui Varronis libro usus est, sed paululum etymon verbi „mane" mutavit eo, quod duo apud alios scriptores allata confudit, quod saepe fecit et peculiaris eius fuisse doctrina videtur. quocum nemo posterorum facit.

Hic ergo est librorum auctorumque ordo: Varro primus haec singularum diei partium nomina ex antiquis poetis conquisivit et explicavit.[1]) hanc autem rem in l. L. l. VI, ut solet, obiter tetigit, quam in libris Antiquitatum (XIX.) uberrima doctrina tractavit. quem secuti alii viri docti de eadem re disseruerunt. quamquam hi forsitan nonnulla mutaverint, alia accuratius distinxerint, tamen his viris nimis tribuere non licet. quorum in numero Verrius est a posteris in hac quaestione auctor non adhibitus; Suetonius, qui Censorino, Labeo, qui Macrobio hanc doctrinam praebuisse videtur. sed etiam multi alii hanc rem in libros suos receperunt, ita ut doctrina Varroniana quamvis resecta etiam in libros Isidori et Placidi, qui ex eodem fonte hausisse videntur, venerit.

In eodem libro Varro de initio diei apud diversos populos vario egit. cuius doctrinae gravissimum locum habemus apud Gell. III 2,2.[2]) „M. Varro in libro rerum humanarum, quem de diebus scripsit: homines, inquit, qui inde a media nocte ad proximam mediam noctem in his horis viginti quattuor nati sunt, uno die nati dicuntur. (3) . . . (4) Athenienses autem aliter observare idem Varro in eodem libro scripsit eosque a sole occaso ad solem iterum occidentem omne id medium tempus unum diem esse dicere. (5) Babylonios porro aliter:

---

[1]) non dubium est quin nonnulla nomina iam ab aliis tractata fuerint ante Varronem, ut videmus Catulum, Aelium (nox, intempesta) fecisse. Kriegshammer p. 82.

[2]) verbotenus eadem legis descripta apud Macr. I 3.



a sole enim exorto ad exortum eiusdem incipientem totum id spatium unius diei nomine appellare; (6) multos vero in terra Umbria unum et eundem diem esse dicere a meridie ad insequentem meridiem: quod quidem inquit nimis absurdum est . . . . . (7) populum autem Romanum ita, uti Varro dixit, dies singulos adnumerare a media nocte ad mediam proximam multis argumentis ostenditur.(8). ."

Varro igitur aliorum populorum consuetudines conquisivit uberiusque Romanorum diem tractavit, quem a media nocte ad mediam insequentem esse argumentis ex cultu exque praeceptis tribunorum plebis tractis probavit. adfert autem Athenienses — Babylonios — Umbros — Romanos, quos secundum ordinem litterarum auctor noster composuit, quem ordinem paululum mutavit, ut Romanos ultimo loco haberet, de quorum die pluribus verbis tractare voluit.

De eadem autem re agunt Cens. 23,3 „huius modi dies ab astrologis et civitatibus quattuor modis definitur. Babylonii quidem a solis exortu ad exortum eiusdem astri diem statuerunt, at in Umbria plerique a meridie ad meridiem, Athenienses autem ab occasu solis ad occasum. ceterum Romani a media nocte ad mediam noctem diem esse existimarunt." et Lyd. II 2 Ἡ φυσικὴ ἡμέρα ἀπὸ τῶν ἡλίου ἀνατολῶν ἕως δυσμῶν λαμβάνεται, ἀλλ' οὐ παρὰ πᾶσιν οὕτως. Βαβυλώνιοι μὲν γὰρ ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου ἕως αὐτῶν λαμβάνουσι δυσμῶν, νυκτὸς οὐδ' ὅλως μνήμην ποιούμενοι . . . . Αἰγύπτιοι δὲ καὶ Ἑβραῖοι ἀπὸ ἀρχῆς ἑσπέρας τὴν ἐπιφοιτῶσαν συναριθμοῦντες ἡμέραν ἕως τῆς ἐπιούσης πάλιν ἑσπέρας . . . . . οἵ γε μὴν Οὔμβροι, ἔθνος Ἰταλικὸν καὶ ἀστρολόγον, ἀπὸ μεσημβρίας τὴν ἀρχὴν τῆς ἡμέρας λαμβάνουσιν, ἕως πάλιν τῆς ἄλλης μεσημβρίας μίαν λέγοντες ἡμέραν . . . Ἀθηναῖοι δὲ καὶ αὐτοὶ ἀπὸ δυσμῶν εἰς δυσμὰς ὥσπερ καὶ οἱ Ἑβραῖοι, Ῥωμαῖοι δὲ τὸ μὲν πρῶτον ἴσα τοῖς Βαβυλωνίοις κατὰ τὸν φυσικὸν νόμον καὶ

αὐτοὶ τὴν ἡμέραν μόνην ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου μέχρι δυσμῶν ἡμέραν ὡρίζοντο, τὴν νύκτα μηδὲν λογιζόμενοι· ὕστερον δὲ ἀπὸ μέσης νυκτὸς ἤγουν τῆς ἀρχῆς τῆς ἑβδόμης ὥρας αὐτῆς καὶ ἕως μέσης πάλιν τῆς ἐπιούσης νυκτὸς ἐτύπωσαν τὴν ἡμέραν καὶ νομίζεσθαι καὶ ὀνομάζεσθαι. et Isid. Or. V 30,4 „dies secundum Aegyptios inchoat ab occasu solis, secundum Persas ab ortu solis, secundum Athenienses a sexta hora diei, secundum Romanos a media nocte."

Quamquam horum virorum doctrina ad Varronis Antiquitates redit, tamen eos ex illius ipsius libro non hausisse elucet ex loco Gelliano. ordo autem nominum, quem Cens. praebet, (Babylonii — Umbri — Athenienses — Romani) perturbatus est, sed non temere auctor Censorini, Suetonius, hoc fecit, cum ordinem secundum litterarum seriem factum mutarit in ordinem secundum tempus compositum, ut nunc habeamus: solis exortum — meridiem — solis occasum — mediam noctem.

Deinde a Lydo nominati sunt:

Babylonii — ab ortu ad solis occasum (nocte neglecta);
Aegyptii et Hebraei — a vespero ad vesperum
Umbri — a meridie ad meridiem;
Athenienses — ab occasu ad occasum;
Romani — 1) ut Babylonii
2) a media nocte ad mediam noctem.

quorum ordo plane alius est atque Varronis, mihi autem videtur doctrina aucta Labeoni deberi. a quo certe Hebraei et prior annus Romanorum additi sunt.

Lydi autem doctrinae similis est Isidori, qui dicit diem esse putare:

Aegyptios — ab occasu solis,
Persas — ab ortu solis (Persas pro Babyloniis scripsit),
Athenienses — a sexta hora (immo Umbri),
Romanos — a media nocte.

In eodem libro XIX de vocabulis dierum egit Varro et eae explicationes inveniebantur, quae l. L. VI 12-32 leguntur, uberiore scilicet doctrina prolatae.

De mensibus l. XVIII Antiquitatum disputavit Varro, qui naturales et civiles distinxit. cuius de naturalibus doctrinae partem exilem habemus apud Cens. 22,1-22,5, ubi ex Cens. verbis subaudimus de multis quaestionibus actum fuisse.

Menses autem civiles ut menses lunae dispares sunt neque apud singulas civitates eundem habent numerum dierum. quod ut demonstret, Varro menses aliarum civitatum affert: (Cens. 22,6) „apud Albanos Martius est sex et triginta, Maius viginti duum, Sextilis duodeviginti, September sedecim; Tusculanorum Quintilis dies habet XXXVI, October XXXII, idem October apud Aricinos XXXVIII, (7) minime videntur errasse qui ad lunae cursum menses civiles adcommodarunt, ut in Graecia plerique, apud quos alterni menses ad tricenos dies sunt facti. (8) maiores quoque nostri idem sunt aemulati, cum annum dierum CCCLV haberent." quamquam ordo paulum turbatus est, tamen etiam hic Varro in afferendis gentibus litterarum ordinem secutus esse videtur: Albani — Tusculani — Aricini — Graeci — Romani. cuius ordinis accedit testimonium inexspectatum.

Nostro enim libro Varro etiam de ea quaestione disputavit, quem locum quisque mensis apud singulas gentes haberet. cuius disputationis Ovidius in Fastis partem servavit III 87

„quod si forte vacas, peregrinos inspice fastos:
mensis in his etiam nomine Martis erit:
tertius Albanis, quintus fuit ille Faliscis,
sextus apud populos, Hernica terra, tuos.
inter Aricinos Albanaque tempora constat
factaque Telegoni moenia celsa manu.

quintum Laurentes, bis quintum Aequiculus asper,
a tribus hunc primum turba Curensis habet.
et tibi cum proavis, miles Paeligne, Sabinis
convenit: huic genti quartus utrique deus."

qui locus meram sapit doctrinam Varronianam. gravissimum autem est ordinem litterarum oriri sub quoque numero, si nomina illarum gentium secundum ordinem mensi Martio datum componimus. mensem enim habebant loco

3. Albani — Aricia — Praeneste,
4. Cures — Paeligni — Sabini,
5. Falisci — Laurentes,
6. Hernici,
10. Aequiculi.

Atque eadem res est VI 59, ubi poeta de mense Iunio agit

„inspice quos habeat nemoralis Aricia fastos
et populus Laurens Lanuviumque meum:
est illic mensis Iunonius. inspice Tibur
et Praenestinae moenia sacra deae:
Iunonale leges tempus."

etiam hic ordo litterarum servatus est:

Iunonius: Aricia — Laurentum — Lanuvium;
Iunonalis: Tibur — Praeneste.[1])

admiranda est ars poetae, qui nomina a Varrone allata immutato ordine in versum redigere potuerit, neque minus est admiranda Varronis diligentia, cuius nostro loco optimam imaginem habemus. quot oppida eum nominavisse putabimus in libro Antiquitatum.

Praeter haec l. XVIII etiam etyma nominum mensium continebat, de quibus nunc paucis est agendum.

[1]) quorum oppidorum ordo quod mutatus est, nullius est momenti, cum haec a Telegono condita semper arte coniungantur.

Primi Fulvius et Iunius haec nomina explicaverunt et docuerunt a Romulo ea inventa esse (Cens. 22,9), quorum veriloquia ex Varrone et Censorino et Macrobio discimus haec:

Martius a Marte patre Romuli,
Aprilis a Venere matre Romuli,
Maius a maioribus,
Iunius a iunioribus,
Quintilis usque ad Decembrem a numero,
Ianuarius a Iano,
Februarius a dis inferis.

Quorum virorum etyma postea Cincius[1]) refutavit, qui fastis aliorum oppidorum inspectis docuit Romanos a Latinis nomina mensium accepisse itaque alio modo nomina explicavit (Macr. I 12,12; 18; 30).

Martium derivavit a Marte deo bellandi,
Aprilem ab aperiendo,
Maium a Maia, uxore Vulcani,
Iunium a Iunone.[2])

utrum etiam Februarii novum veriloquium (a februis) docuerit an antiquorum opinionem secutus sit, nescimus.

Ab hoc autem Varro novas explicationes accepit auctis argumentis[3]) erroribus correctis[4]) (cf. l. L. VI 33,34, Cens. 22,10, Macr. I 12,13). attamen Litt[5]) nisus loco Varriano (l. L. VI 33) „tertius a maioribus Maius, quartus a iunioribus dictus Iunius" demonstrare studuit falso vel Suetonium vel Censorinum nova mensium Maii

[1]) Lucretius in prooemio carminis sui Aprilis veriloquium novum significat, certe non ex alio auctore haustum, sed ex ingenio suo.

[2]) praeterea Lyd. IV 144.

[3]) in Aprili mense.

[4]) in Maio, fortasse etiam in Februario.

[5]) p. 10 ss.

et Iunii veriloquia Varroni tribuere, revera autem ea Verrii esse. attamen recte hoc dixisse non videtur, quamquam Varronem ipsum auctorem adhibet. nam l. L. libro nimis tribuendum non esse iam supra vidimus acceditque, quod etiam Lydus, qui secundum Littium[1]) per Cornelium Labeonem accepit Verrii doctrinam, tradit Varronem Maium mensem Maiae deae attribuisse (IV 76) „καὶ οὐκ ἔξω λόγου ὁ Βάρρων φαίνεται ὡς καὶ μῆνα ἀναθέμενος αὐτῇ (Μαίᾳ)," quibus verbis mea quidem sententia auctoritas Censorini optime confirmatur.

Libro XVII, quo de anno disputavit, ut in mensibus Varro ab anno naturali orsus est. atque primum sententias controversias astrologorum contulit, qui „hoc tempus quod dierum esset ad certum nondum reperire potuerunt" (Cens. 19,2).

Neque minus varii anni civiles apud singulas gentes erant (Cens. 19,4). de hoc anno plura nobis tradita sunt:

1) Plut. Num. 18 „πολλοὶ δέ εἰσιν οἳ καὶ προστεθῆναι τούτους ὑπὸ Νομᾶ τοὺς μῆνας λέγουσι τόν τε Ἰανουάριον καὶ τὸν Φεβρουάριον, ἐξ ἀρχῆς δὲ χρῆσθαι δέκα μησὶν εἰς τὸν ἐνιαυτόν, ὡς ἔνιοι τῶν βαρβάρων τρισίν· καὶ τῶν Ἑλλήνων Ἀρκάδες μὲν τέτταρσιν,[2]) ἓξ δὲ Ἀκαρνᾶνες, Αἰγυπτίοις δὲ ἦν μηνιαῖος ὁ ἐνιαυτός, εἶτα τετράμηνος ὥς φασιν."

2) Solin. I 34 „tunc ergo primum cursus anni perspecta ratio, quae a rerum origine profunda caligine tenebatur. nam ante Augustum Caesarem incerto modo annum computabant, qui apud Aegyptios quattuor mensibus terminabatur, apud Arcades tribus, apud Acarnanes sex, in Italia apud Lavinios tredecim, quorum annus trecentis septuaginta quattuor diebus ferebatur. Romani initio annum decem mensibus computaverunt . . ."

[1]) p. 23 ss.

[2]) error Plutarchi; immo τρισίν.

3) Macr. I 12,2 „anni certus modus apud solos semper Aegyptios fuit: aliarum gentium dispari numero pari errore nutabat. et ut contentus sim referendo paucarum morem regionum, Arcades annum suum tribus mensibus explicabant, Acarnanes sex, Graeci reliqui trecentis quinquaginta quattuor diebus annum proprium computabant. non igitur mirum in hac varietate Romanos quoque olim auctore Romulo annum suum decem habuisse mensibus ordinatum."

Lyd. III 5 „Αἰγύπτιοι δὲ λέγονται ἀριθμῆσαι τὸν ἐνιαυτὸν τεσσάρων μηνῶν . . οἱ δὲ Ἀρκάδες τριῶν μηνῶν, Σικυώνιοι δὲ ἕξ, Λατῖνοι τριῶν καὶ δέκα τὸν ἐνιαυτὸν ἠρίθμουν, παρὰ δὲ Ῥωμαίοις τὸ παλαιὸν δέκα μῆνας ἐτετύπωτο τὸν ἐνιαυτὸν ἔχειν, ὕστερον δὲ πρὸς τοῦ βασιλέως Νουμᾶ καὶ ἕτεροι δύο προσετέθησαν."

4) Cens. 19,4 „et in Aegypto quidem antiquissimum ferunt annum menstruum fuisse, post deinde ab Isone rege quadrimenstrem factum, novissime Arminon ad XIII menses et dies quinque perduxisse. item in Achaia Arcades trimenstrem annum primo habuisse dicuntur et ob id proselenoe appellati, non ut quidam putant, quod ante sint nati quam lunae astrum caelo esset, sed quod prius habuerint annum quam is in Graecia ad lunae cursum constitueretur. sunt qui tradunt hunc annum trimenstrem Horon instituisse, eoque ver, aestatem, autumnum, hiemem horas et annum horon dici et Graecos annales horus eorumque scriptores horographos. itaque quattuor annorum circuitum in modum pentaeteridis annum magnum dicebant. Cares autem et Acarnanes semenstres habuerunt annos et inter se dissimiles, quibus alternis dies augescerent aut senescerent, eosque coniunctos velut trieterida annum magnum."

20,1 „nam ut alium Ferentini, alium Lavinii itemque Albani vel Romani habuerunt annum, ita et aliae gentes."

Ex quibus omnibus locis doctrinam Varronis cognoscimus. quae a scriptoribus traduntur, plane inter se consentiunt. nomina autem haec sunt:

apud Plutarchum
nonnulli barbari 3 menses habuerunt,
in Graecia Arcades 4 (3),
Acarnanes 6;
Aegyptii 1 — 4.

apud Solinum
Aegyptii 4,
Arcades 3,
Acarnanes 6,
in Italia Lavinii 13.

apud Macrobium
Aegyptii —,
Arcades 3,
Acarnanes 6,
reliqui Graeci dies 354.

apud Lydum
Aegyptii 4,
Arcades 3,
Sicyonii 6,
Latini 13,
Romani 10 - 12.

apud Censorinum
Aegyptii 1 - 4 - 13;
in Achaia Arcades 3,
Cares 6,
Acarnanes 6.
in Italia Ferentini
Lavinii
Albani
Romani.

etiam hic Varro gentes secundum ordinem litterarum enumeravit, postquam inter gentes barbaras, Graecas, Italicas distinxit. maximam autem partem doctrinae eius nobis Cens. praebet, ex cuius libro elucet Varronem uberius de singulis annis disputavisse, ut de anno Aegyptiorum. Suetonius satis accurate nostrum auctorem secutus est, ita ut Cens. ex eius „de anno Romano" libro haec omnia sumere potuerit. posterioris autem aevi scriptores pauca excerpserunt neque semper eadem nomina elegerunt.

Omnia haec Varro attulit, ut annum Romanum illustraret, de quo maxima inter viros doctos Romanos

controversia erat, utrum annus Romanus ab initio duodecim an decem mensium fuisset. atque Licinius Macer et Fenestella illud contenderunt, cum Fulvius, Iunius Gracchanus, Varro, Suetonius annum antiquum Romanorum decem mensibus computarent (Cens. 20,2, Macr. I 12, Ov. F. I 27, III 99, Plut. Num. 18,5, Solin. I 35, Lyd. III 5). quae scriptores tradunt, plane consentiunt neque dubitari potest quin ad Varronem redeant. cuius doctrina per Suetonium ad Censorinum venit et fortasse aliquo alio scriptore interposito ad Solinum. Macrobius autem eadem fere habet, nisi quod Numam prius quinquaginta posteaque unum diem addidisse contendit, quam nimiam sapientiam fortasse Labeonis sapientiae debet. Varroni igitur tribuenda sunt, quae apud Cens. 20,3 ss. legimus.

Deinde sequitur de intercalatione disputatio (Cens. 20,6). de qua Varro uberius egit. cf. Macr. I 13,21 „Fulvius autem primum intercalasse Manium Acilium consulem dicit ab urbe condita anno quingentesimo sexagesimo secundo inito mox bello Aetolico. sed hoc arguit Varro scribendo antiquissimam legem fuisse incisam in columna aerea a L. Pinario et Furio consulibus, cui mensis intercalaris adscribitur."

Quae Plutarchus l. l. tradit, non omnia ad Varronem redire possunt, cum cap. 18 ineunte annum Romuli duodecim menses habuisse doceat, sed inde a § 5 Varronis doctrina profertur.

De reliquis libris XIV usque ad XVI paucis dicere liceat. non iure Mirschius[1]) contra Gruppeum et Kettnerum dicit Varronem de aevo et saeculis et lustris singulos libros scribere non potuisse. qua de re videamus.

Libro XVI, quo de annis maioribus vel lu-

[1]) p. 39.

stris egit, Varro a diversitate horum annorum orsus est: atque primo loco Aegyptiorum annum magnum tractavit (Cens. 18,10), ut ex ordine supra demonstrato apparet, quod in nostrum locum optime quadrat, cum apud Censorinum Aegyptii inter medios Graecos positi sint. deinde secutae sunt Graeciae civitates, de quarum annis maioribus Varro disputavit vestigiaque usus eorum in ludis demonstravit. neque praetermiserat virorum doctorum annos magnos, ut Metonis, Philolai, Calippi, Democriti, Hipparchi, Aristotelis all. denique ad Romanorum lustrum accessit eiusque historiam et usum demonstravit.[1])

De saeculis libro XV descriptis Varronem doctrinam non defecisse ipse Mirschius concedit. cuius libri imago est Cens. 17[1]). etiam hic Varro de huius verbi usu apud Graecos vario coepit agere et poetarum et historicorum sententias contulit, deinde Etruscorum libris ritualibus examinatis (17,5 et 14,6) de Romanorum saeculis disputavit, de quibus agere difficillimum erat, cum haec quaestio diiudicari non posset neglectis ludis saecularibus et illa de anno urbis conditae controversia. quare fieri non potest quin haec quoque noster liber continuerit.

Libro XIV Varro de aevo egit, quod in tria tempora divisit (Cens. 16,1 - 6). neque minus de hominis aevo, id est vita, disseruit et quinque gradus aetatis distinxit (Cens. 14). ad suam autem opinionem illustrandam Graecorum virorum sententias Etruscorum rationes attulit. certe autem non deerant homines vetusti, quos adfert Cens. 15,2.

Has quaestiones, quas attigimus, Varro uberrima doctrina tractaverat et erant eae, quae cum multis exemplis proferri possent.

---

[1]) nonnulla his capitibus inesse, quae non ex nostro libro hausta sint, neminem fugiet.

IV. De Verrio Flacco.

Verrius Flaccus omnem doctrinam aetatis Augusti adumbravit atque potissimum quidem illo vastissimo suo opere „de verborum significatu", cuius epitomae ad nos venerunt. in quo opere etiam fastos respexit et multis locis de rebus ad fastos pertinentibus egit. atque ad hos illustrandos librum aliquem de fastis scriptum adhibuit saepiusque huius modi loci inter se coniuncti sunt, ut e. g.

P. 85 Feralia — Feria — Februarius,
103 Iunium — Iulium,
104 Idulis — Ianual,
259 Q. R. C. F. — Q. ST. D. F,
F. 165 Nefasti — NP,
173 Nonas — Nundinas.[1])

Non omnes autem loci, qui fastos tangunt aut dies festos, ex eodem libro fastorum sumpti sunt, cum Verrius saepe bis de eadem re agat, ut P. 10,5 „Agonium dies appellabatur, quo rex hostiam immolabat; hostiam enim antiqui agoniam vocabant. Agonium etiam putabant deum dici praesidentem rebus agendis, Agonalia eius festivitatem, sive quia agones dicebant montes, Agonia sacrificia, quae fiebant in monte. hinc Romae mons Quirinalis Agonus et Collina Agonen-

[1]) attamen apud Fest. non omnia coniuncta fuisse, quae apud Paul. sunt, suspicari aliquis possit ex F. 149,22 ubi „Maiis idibus — Minusculae Quinquatrus" coniuncta non sunt, ut in P. 148,3; sed cum hic locus unicus et sub littera M ordo verborum saepe turbatus sit, huic rei nihil tribuendum est.

sis". nomen igitur derivatur aut
ab agonia i. e. hostia aut
ab Agonio i. e. deo agendi aut
ab agonibus i. e. montibus.
sequitur autem P. 10,8: „Agonium i. e. ludum, ob hoc dictum, quia locus, in quo ludi initio facti sunt, fuerit sine angulo, cuius festa Agonalia dicebantur." quos locos ex eodem fonte sumptos non esse apparet atque opinor alterum scriptum esse non ad fastos explicandos, sed ad verbum „agonii."

Deinde de feriis P. 85,12 (certe ex fastis): „Feria a feriendis victimis vocata." P. 86,7' „Ferias antiqui fesias vocabant, et aliae erant sine die festo, ut Nundinae, aliae cum festo, ut Saturnalia, quibus adiungebantur epulationes ex proventu fetus pecorum frugumque" (ex alio fonte atque locus superior). neque aliter res se habet in verbo „Manias" P. 128,8 et „Maniae" P. 144,6. de Argeis autem tribus locis actum est P. 15,12; 75,7; F. 334,14; qui tamen loci ex uno fonte sumpti esse possunt, quamquam minime certum est. sed non ad eundem auctorem duos de Parilibus locos reducam P. 222,12 „Pales dicebatur dea pastorum, cuius festa Palilia dicebantur, vel ut alii volunt, dicta Parilia, quod pro partu pecoris eidem sacra faciebant." P. 236,5 „Parilibus Romulus urbem condidit, quem diem festum praecipue habebant iuniores."

Si Verrius ex uno fastorum libro omnes hos locos sumpsit, exspectandum erat uno loco omnem de aliquo die festo doctrinam proferri, non duobus vel tribus atque non semper inter se congruentibus. quae opinio dissentit ab illorum, qui nobis persuadere conantur Verrium fastos scripsisse exque his in libros „de verborum significatu" multa transtulisse, Mommsen C.I.L. I 1^1 p. 285, H. Winther de Fastis Verri Flacci ab Ovidio adhibitis, Berolini 1885, Th. Litt. l. l., qui opinionem

suam maxime probant verbis Suetonii de gramm. 17 „statuam habet Praeneste in superiore fori parte circa hemicyclium, in quo fastos a se ordinatos et marmoreo parieti incisos publicarat." Suetonius igitur tradit Verrium fastos ordinavisse i. e. ea fecisse quae ad editionem fastorum notis eligendis nominibus explicandis facienda sunt. eum autem praeter hos fastos Praenestinos etiam librum de fastis scripsisse neque Suetonius dicit neque duobus illis locis Macrobii demonstratur. concedendum igitur erit hanc quaestionem nulla re adhuc probatam esse. sed haec res in nostra quaestione momenti levioris est, maioris autem quaerere, quae ratio inter Varronem et Verrium intercedat. sed non omnes locos tractabo, sed graviores tantum.

de anni Romani historia apud Verrium nihil fere servatum est (F. 150,17 s. v. „Martius mensis," P. 85,17 s. v. „Februarius", Praen. Ian. 1). de anno Romuli autem et de intercalatione nihil comperimus.

sed multo plura scimus de mensium nominibus, de quibus conf. Littium (p. 12), nisi quod mensis Augustus accedere debet (Notizie degli Scavi 1897 p. 421) „(hic mensis qui antea Sextilis vocabatur ex S. C. Augustus appellatus est, quod hoc mense ab Imp. Caesare Augusto Aegypt)us in potestatem po(puli Romani redacta est.)"[1])

Atque primum in explicandis nominibus Verrius Cincii et Varronis ratione utitur, cum hic quoque gentes Italiae spectet et Albanos et plerosque populos Latinos nominet et mensem Maium in compluribus civitatibus Latinis ante Urbem conditam fuisse dicat, id quod etiam Cincius et Varro contenderunt. utrum autem Verrius secutus sit, apparebit nobis singula nomina tractantibus. in explicationibus Maii et Februarii mensium apud illos auctores diversis Varronem sequitur.

[1]) cf. Macr. I 12,35.

Hoc autem loco Verrii ingenium melius cognoscere possumus „Maius appellatus est a u t a maioribus . . . a u t a Maia . . . a u t quod ipsi deae . . . fiebant.[1]) Verrius igitur nullum veriloquium praetulit, sed omnes sententias comparavit de suo nihil addens. neque aliter res in Aprili et in Iunio et in Februario se habet, cum ubique diversa veriloquia confuderit. ex quibus rebus haud ita magnum Verrii ingenium elucet neque is fuisse videtur, qui fastis multum operae dederit, ut ii contendere debent, qui de eius fastis disputant; sed fastos non tetigisse videtur nisi ut fastos Praen. ordinaret et publicaret et operi suo vasto, quo omnia continebantur, insereret.

De n o t i s vix dissensio esse potuit atque uterque eadem tradidit. nota NP autem quae apud Fest. (165,17) mutilata est, ex Ov. F. I 49-52 sic expleri potest „NP (nota designari solent dies qui nefasti ante)riores sunt, q(uorum pars posterior fas; his servi) liberati sunt, (delectus habentur, exercitus scrib)untur et in provin(cias ire licet, sacra quoque) instituta fiunt (et vota nuncupata solvi) et aedes sacrari (solent)."

Varro autem hanc notam omisit in l. L. l. VI, certe eam explicaverat in libris Antiquitatum, cum 52 locis haec in fastis legatur.

Magni autem momenti est, quod auctores nostri contra plerosque consentiunt in explicata nota Q.R.C.F., de qua inter viros doctos erat dissensio. Praen. Mart. 24. „hunc diem plerique perperam interpretantes putant appellari, quod eo die ex comitio fugerit (rex; n)am neque

[1]) secundum et tertium veriloquium revera unum esse apparet. utrum Verrius an Festus stulte ex uno duo fecerit, dubium est, Verrius autem fuisse videtur. si mensis nominari debebat, quod Mercurio sacra fiebant, ab hoc deo vocandus erat. verum habet Varro apud Cens. 22,12.

Tarquinius abiit ex comitio (Urbis) et alio quoque mense eadem sunt (idemque) significant qua(re sacrificiis peractis iudici)a fieri indica(ri iis magis putamus)." P. 259,4. Varro VI 31 „dies qui vocatur sic Quando Rex Comitiavit Fas is dictus ab eo quod eo die rex sacrificio ius dicat ad comitium, ad quod tempus est nefas, ab eo fas; itaque post id tempus lege actum saepe." quis falsam opinionem refutaverit, nescimus, certe autem Varro novam protulit eumque Verrius secutus est (cf. Plut. q. R. 63).

De Nundinis inter viros doctos magna lis erat, utrum hi dies feriati essent an fasti (cf. Macr. I 16,28). atque Titius, Iulius Modestus, Trebatius negaverunt nundinas ferias esse, at Caesar et Cornelius Labeo eas esse ferias dixerunt. quam dissensionem Granius Licinianus explicavit (antiquum auctorem (Varronem?) secutus) dicendo nundinas ab initio ferias fuisse, postea lege Hortensia fastos dies factas esse. quocum Varro et Verrius consentiunt (F. 173,30 et Serv. Georg. I 275). originem autem nundinarum Varro Servio Tullio adscripsit (Macr. I 13,20),[1]) qua de re Verrii doctrina ad nos non pervenit.

De Kalendis (Praen. Ian. 1, l. L. VI 27, Non. 23,21 ex vita pop. R. l. I), de Nonis (F. 173,26, l. L. VI 28), de Idibus (Verrii doctrina periit, l. L. VI 28) dissensio non est.[2]) neque aliter de diebus atris iudicandum (Praen. ad Ian. 2, 6,14, F. 278,12 s.v. religiosus; Gell. V 17 ex l. IV de verborum significatu, P. 7,3, l. L. VI 29

[1]) ab hoc loco Macr. I 16,34 non dissentit. his enim diebus homines cum in Urbem venerunt mercandi causa, post mortem Servii simul huius regis memoriam celebrare coeperunt, ita ut hi dies postea regibus exactis feriati fierent.

[2]) Macr. I 15,9 ss. Lyd. III 10, Plut. q. R. 24. Macrobius plenus est doctrinae Varronianae.

et 32).[1])

Nulla igitur dissensio inter auctores nostros est. quamquam autem origo Varroniana doctrinae Verrianae probari non potest, tamen haec origo incerta non est, cum etiam iis locis consentiant, ubi aliorum sententiae refutantur, et omnia quae Verrius de anno Romano, de mensibus al. tradit, inter se cohaereant eiusdemque naturae sint, ita ut omnia ex eodem fonte oriri contendere cogamur, quem fontem Varronis libros Antiquitatum fuisse in disputatione de mensium nominibus instituta vidimus.

Restat autem, ut ultimo loco de diebus festis agamus, de quibus difficile est dictu, quod exilem tantum partem doctrinae virorum doctorum habemus, ita ut raro certum iudicium ferre possimus. sed ne bis eadem dicere cogamur, haec omnia capiti de Ovidio scripto inseram.

V. De Ovidii Fastis.

De Ovidii auctore iam saepe quaesitum est. atque primum R. Merkel in prolegomenis editionis Fastorum, Berolini 1841, poetam pro fundamento posuisse et interpretatum esse Fastos Maffeanos putavit,[2]) in partibus ad historiam spectantibus eum fastos explicare secundum multos annalium scriptores, ut Fabium Pictorem, Ennium, M. Porcium Catonem, Valerium Antiatem alios, ad sacra autem exponenda usum esse Varronis Antiquitatibus Rerum Divinarum. quem virum secutus Chr. Hülsen (Varronianae doctrinae quaenam in Ovidi Fastis vesti-

[1]) Gell. IV 9,5; Liv. VI 1,11; Plut. q. R. 25, Macr. I 15,22; 16,21; 24.

[2]) p. XVII.

gia extent, Berolini 1880) Ovidium omnes res ad antiquitates pertinentes ex illis libris Varronis hausisse demonstrare studuit argumentis ex diversis scriptoribus collectis, quae tamen omnibus communia esse debent. quos impugnavit H. Winther (de Fastis Verrii Flacci ab Ovidio adhibitis, Berolini 1885), qui fontem Ovidii esse statuit Verrii Fastos illos deperditos, de quibus iam supra[1]) dixi. quam sententiam multis comprobatam, ab aliis refutatam[2]) Th. Litt plane secutus est, ita ut omnia, quae in Ovidii Fastis exstent, pro Verriana doctrina habeat. quamquam accuratam sex mensium descriptionem apud Ovidium habemus, tamen minores non sunt difficultates, cum poeta rationibus poeticis ducatur, non ut vir doctus quam accuratissime has res tractet; nam non antiquitates Romanas pertractare, sed eos et docere et delectare volebat, qui Fastos legerent.

Atque poeta ipse de fonte suo plura dixit, quos locos contulit Wintherus.[3]) quibus ex locis apparet Ovidium fastos in usum suum vertisse acceditque quod carmen suum Fastos nominavit. quis autem his argumentis nisus contendet Ovidium uno opere usum esse et ex uno fonte omnia hausisse? qua in quaestione locus I 289 viam nobis monstrabit. poeta enim postquam multis verbis de Iano egit, quem deum doctrinam sibi ipsum praebuisse fingit, pergit

„quod tamen ex ipsis licuit mihi discere fastis,"

ubi a Iano se ad fastos se recipere simulat, revera autem ab uberiore fonte, qui ei explicationes praebuit, ad

---

[1]) p. 28.

[2]) Litt p. 6. quibus addendus est E. Samter p.46, qui demonstrare studuit praeter Verrium etiam Varronem ab Ovidio adhibitum esse.

[3]) p. 4ss.

fastos redit. eadem autem de causa poeta priusquam uberiorem doctrinam proferat, nonnullis locis omnes notas, quae in fastis adscribuntur, explicat, deinde ad alium fontem se vertit. praetermitto autem, quod poeta hic illic res affert, quae in fastis aut in opere de fastis scripto inveniri non poterant, ut e. g. illa de hostiis disputatio (I 333-456).

Denique habemus gravissimum argumentum in iis, quae poeta de anno Romano docet. priusquam enim Ovidius a singulis diebus incipiat, de anno Romano agit et putat[1]) annum antiquissimum Romanorum decem mensium fuisse, ut Fulvius, Iunius, Varro putaverunt. Ianuarium autem Februariumque Numa addidit (I 43)

„At Numa nec Ianum nec avitas praeterit umbras,
mensibus antiquis praeposuitque duos."

quae opinio poetae cum plerisque viris doctis communis est.[2]) secundum versus igitur supra allatos mensium ordo inde ab Numa idem fuit, qui nunc est. qua ab opinione dissentit II 47

„sed tamen antiqui ne nescius ordinis erres,
primus ut est Iani mensis et ante fuit.
qui sequitur Ianum veteris fuit ultimus anni:
tu quoque sacrorum, Termine, finis eras . . .
postmodo creduntur spatio distantia longo
tempora bis quini continuasse viri."

quo loco ordinem posteriorem a decemviris effectum esse, usque ad illud tempus Ianuarium primum, Februarium ultimum anni mensem fuisse Ovidius contendit. gravissimum autem hoc discrimen est atque locus prior nullo modo cum Varrone aut Verrio coniungi potest, cum de altero loco, a quo fortasse III 147 non

---

1) I 27.

2) Plut. Num. 18, q. R. 19, Liv. I 19,6, Solin. I 37.

abhorret, nesciamus deficiente doctrina Varronis et Verrii de ordine illorum mensium tradita.

Pergit deinde poeta disserere de anno et agit de mensium nominibus I 39-44. cum his veriloquiis autem ea conferamus, quae Ovidius unicuique libro praemittit.

mensis	I 39 - 44	locis reliquis
Ianuarius	a Iano	a Iano
Februarius	ab avitis umbris	II 31 a februis
		33 a placatis sepulchris
Martius	a Marte patre	III 70 a Marte patre deoque bellandi[1])
Aprilis	a Venere (cf. art. amat. I 405)	IV 27 a Venere matre, non
		85 ab aperiendo
Maius	a maioribus	V 11 a maiestate
		55 a maioribus
		79 a Maia, matre Mercuri
Iunius	a iunioribus	VI 21 a Iunone[1])
		65 a iunioribus (= V 78)
		91 a iunctis Sabinis et
reliqui	a numero.	Latinis.

optime autem duos fontes secernere possumus, cum priore loco Ovidius opiniones Fulvi et Iuni proferat, posteriore veriloquia Varroniana addat. fasti igitur, quos operi suo quasi fundamentum iecit, cum doctrina Varroniana iungi non possunt.

Deinde ex fastis sumpta sunt, quae poeta de notis tradit I 45-62: 47 de nota N, 48 F, 49-52 NP,[2])53C, 54 de nundinarum litteris. de quibus hoc loco disserit, ne narrationem interrumpere cogatur (I 61). duas autem

[1]) allatis fastis peregrinis.

[2]) cf. Lange, Röm. Altertümer 1^2 p. 308 s.

notas aliis locis explicat V 727 ad Mai. 24 Q. R. C. F. quam notam in calendariis etiam ad Mart. 24 positam illic poetae neglegentia omisit, item VI 713 ad Iun. 15 Q. ST. D.F. quas notas poeta seorsum tractat, quia singulares sunt neque repetitione rerum ordinem turbant. atque hoc loco nostra de Ovidii fonte opinio optime confirmatur.

„haec est illa dies, qua tu purgamina Vestae,
Thybri, per Etruscas in mare mittis aquas."

viri docti autem tradunt stercus in angiportum fere medii clivi Capitolini delatum esse.

Quod ad acta historica attinet, Ovidius ex fastis magnum numerum allatarum rerum ad historiam Caesaris Augustique pertinentium sumpsit. quae res non aliter se habet atque in nostris calendariis, ubi natalicia principum, proelia celeberrima invenis. sicut autem apud nos series dierum nominatorum non semper eadem est in omnibus calendariis, sed variatur novis rebus additis, veteribus omissis, ita etiam fasti antiqui nunquam easdem res tradunt, ita ut ex rebus allatis aetatem fastorum colligere possimus. Ovidi Fastos si cum iis conferemus, qui lapidibus incisi ad nos venerunt,[1]) facile videbimus eum his usum non esse, quod etiam tempora antiquiora respicit. cuius rei exempla sunt Iunii dies 9, 11, 22, 23. etiam hanc ob causam poeta cum nullo conecti potest, quod in rebus allatis ab omnibus dissentit, vel a fastis Praenestinis, ad quos tamen proxime accedit; nam Ian. 7, 11, 12 a Praen. allati apud poetam frustra quaeruntur. forsitan omnes fastorum scriptores hauserint ex calendariis publicis aut ex indicibus dierum memoria dignorum auspiciis populi Romani compositis, ex quibus etiam Ovidii auctor hausit.

---

[1]) C. I. L. I 1^2.

De templorum dedicationibus non aliter est statuendum, quae in lapidibus quoque traduntur. quas quamquam poeta ex fastis sumpsit, tamen ab omnibus dissentit.

Denique fastis Ovidius notas dierum festorum debet, quibus brevissimae explicationes adscriptae erant. quamquam in his exilibus explicationibus vix dissensio esse poterat, tamen uno loco in nomine Quinquatruum explicando poeta a viris doctis abhorret atque ita, ut illam explicationem ad nomen diei in fastis appositam fuisse statim videas III 809 (19/III)

„una dies media est et fiunt sacra Minervae,
nomina quae iunctis quinque diebus habent."

hoc autem veriloquium falsum est. cf. l. L. VI 14 „Quinquatrus: hic dies unus ab nominis errore observatur proinde ut sint quinque; dictus ut ab Tusculanis post diem sextum Idus similiter vocatur Sexatrus et post diem septimum Septimatrus, sic hic quod erat post diem quintum Idus Quinquatrus." F. 254,31 „Quinquatrus appellari quidam putant a numero dierum, qui feriis illis celebrantur. qui scilicet errant tam hercule, quam qui triduo Saturnalia et totidem diebus Competalia. nam omnibus his singulis diebus fiunt sacra. forma autem vocabuli eius exemplo multorum populorum Italicorum enuntiata est, quod post diem quintum Iduum est is dies festus, ut apud Tusculanos Triatrus et Sexatrus et Septematrus et Faliscos Decimatrus. Minervae autem dicatum eum diem existimant, quod eo die aedis eius in Aventino consecrata est."

Neque aliter mihi quidem iudicandum videtur loco altero, quo agitur de Vinalibus. l. L. VI 16: „Vinalia a vino; hic dies Iovis, non Veneris. huius rei cura non levis in Latio; nam aliquot locis vindemiae primum ab sacerdotibus publice fiebant, ut Romae etiam nunc;

nam flamen Dialis auspicatur vindemiam et ut iussit vinum legere, agna Iovi facit, inter cuius exta caesa et proiecta primus vinum legit. in Tusculanis ortis est scriptum: vinum novum ne vehatur in Urbem, ante quam Vinalia kalentur." Praen. ad Apr. 23 „Io(vi . . . vini omnis novi libamentum Iovi) consecratum (est, cum Latini bello preme)rentur ab Rutulis, quia Mezentius, rex Etru(sco)rum paciscebatur, si subsidio venisset, omnium annorum vini fructum." P. 374,12 „Vinalia diem festum habebant, quo die vinum novum Iovi libabant." 65,13: „calpar vinum novum, quod ex dolio demitur sacrificii causa, antequam gustetur. Iovi enim prius sua vina libabant, quae appellabant festa Vinalia." de quo die festo apud Ovidium legimus (IV 863)

„Dicta Pales nobis, idem Vinalia dicam,
una tamen media est inter utramque dies.
nomina vulgaris Veneris celebrate puellae!
multa professarum quaestibus apta Venus.
poscite ture dato formam populique favorem,
poscite blanditias dignaque verba ioco.
icumque sua dominae date grata sisymbria myrto
tectaque composita iuncea vincla rosa.
templa frequentari Collinae proxima portae
nunc decet; a Siculo nomina colle tenent.
utque Syracusas Arethusidas abstulit armis
Claudius et bello te quoque cepit, Eryx,
carmine vivacis Venus est translata Sibyllae
inque suae stirpis maluit urbe coli.
877. cur igitur Veneris festum Vinalia dicant,
quaeritis, et quare sit Iovis ista dies?"

quae si lego, mihi quidem suspicio est in calendario, quo poeta usus est, hunc diem Veneri addictum fuisse, itaque nisi de Venere non loquitur, deinde apud alterum auctorem hunc diem Iovis esse repperit et ad hanc

opinionem explicandam se vertit v. 877.

Sed de fastis ab Ovidio adhibitis hactenus. qui liber eiusdem generis erat atque fasti in lapidibus servati et cum Varronis Verriive doctrina nullo modo consociari potest.

Nunc de uberiore fonte Ovidii videamus. atque primum ille auctor in explicandis institutis eandem rationem sequitur quam Varro ceterique post eum viri docti; nam aliorum populorum linguam et mores spectat, ut Graecorum (I 90, II 37, III 102, 153, IV 61-65, V 166, 195, VI 300, 545) (Arcadum I 470, II 423, V 643), Italicorum (II 359, III 87-96, IV 710, V 131, VI 59-64, 217); itaque auctor noster ante Cincium et Varronem vixisse non potest.

De anno Romano quae poeta in singulis libris tradit, optime cum Varrone Verrioque consentiunt (III 145, (Praen. Ian. 1), III 99-134). neque aliter res se habet in mensium nominibus explicandis. quamquam ad Maium et Iunium de sua fortasse doctrina tertium etymon addit (a maiestate et a iunctis Romanis et Sabinis) praetereaque ad Aprilem Varronis sententiam refutat, quam tamen in fonte eius comprobatam fuisse videmus, tamen a Varrone secerni non potest.[1])

Restat denique, ut de diebus festis locos graviores pertractemus. in summa autem auctores nostri plane eadem tradunt atque de caerimoniis cultuque deorum omnino dissensio non est, sed de eorum natura.

Ianum enim poeta derivat a verbo Graeco „Chaos"[2]), quod veriloquium apud unum Verrium invenitur,[3]) ita ut Müllerus dicat ad illum locum: „haec de Iano doctrina

---

[1]) cf. p. 19.

[2]) I 103, Lyd. IV 2.

[3]) P. 52,11.

Verrio peculiaris fuisse videtur." Ovidius autem non semper idem est in dei nomine explicando; nam opinio multorum virorum doctorum Ianum fuisse antiquum Latinorum regem quamquam expressis verbis non refertur, tamen in eius fabulis facile recognoscitur v. 197, 233, 247. in altero autem veriloquio omnes consentiunt: Ianus a ianua I 115-147, A.[1]) XIV 104 b. Ianum autem caelum aut mundum esse, ut docet Varro (A. XVI 8 a,b), poeta non tradit itaque in Iano bifronti explicando alter ab altero dissentit (A. XVI 10,11). quae a Varrone porro dicuntur de Iani in conceptione vi deque Iano quadrifronti apud Ovidium frustra quaeres.

Neque minor dissensio est de Magnae Matris natura. quam Varro orsus ab physicorum sententia Tellurem esse putat et in causis caerimoniarum addendis ducitur hac opinione, quae a poeta plane aliena est (A. XVI 46 a).

Etiam Cererem Varro unus Terram esse dicit (A. XVI 49) et „maturescentibus frumentis deam Matutam" (A. XIV 80).

Attamen gravissimi momenti mihi quidem esse videtur auctores nostros de natura deorum solum dissentire, quae autem Varronis de dis doctrinae habemus, ex libris Antiquitatum Rerum Divinarum sumpta sunt, unde apparet Ovidium usum non esse his libris, in quibus Varro certis rationibus et opinionibus in explicanda natura deorum ductus est. etiam l. XIX Rerum Humanarum, quo de diebus egit, dies festos tractavit deque dis disseruit et opiniones vulgares et ab argutiis theologorum remotas protulit, ut mea quidem sententia nulla re impediamur, quominus Ovidium cum Varrone coniungamus, praesertim cum hic illic in controversiis eadem tradant, ut de Carna (VI 101-182),[2]) quam etiam Varro cum

[1]) hac littera fragmenta ab Agahdio collecta notantur.

[2]) veram huius deae naturam Macr. I 12,32 docet.

Cardea confudit (A. XIV 104 b), et de Publiciis aedilibus plebeis (V 287 et l. L. V 158).[1])

De Verrio quamquam vix aliter res se habet, tamen is auctor Ovidii fuisse non videtur, si fasti Verriani exstiterunt. dissensiones autem sunt, quamquam paucae neque difficiles, de quibus Samter l. l. p. 48 egit. cuius verbis nonnulla adiciam. atque primum de Agonalibus poeta multis verbis disserit et nomen derivat

a) a quaestione ministri: „agone?" I, 319. l. L. VI 12.
b) a pecude acta 323.
c) ab agnis 325.
d) a verbo ἀγωνιᾶν 327.
e) ab agonibus i. e. ludis 329.
f) ab agoniis i. e. pecudibus 331.

Verrius autem haec tradit

P. 10,5
f) ab hostia (cf. 10,11).
g) ab Agonio deo agendarum rerum,
h) ab agonibus i. e. montibus.
P. 10,8.
i) quod locus ludi erat sine angulo.

in Argeis describendis (cf. Samter l. l.) certe Ovidius fabulam quam Verrius quarto loco tradit, non omisisset, si huius libris usus esset.

Quare non puto Ovidium Verrii libris usum esse neque Fastorum libris, qui fortasse ab eo nunquam scripti sunt, neque „de verborum significatu" opere, de qua opinione omnino disputari nequit. etiam Verrius autem Varronis libros Antiquitatum Rerum Humanarum in omni-

[1]) quae exstat de Mamurio Veturio et ancili dissensio facillime solvitur, si rerum scriptorem in hac fabula Ovidii auctorem secutum esse censemus. Ov. III 377-392, l. L. VII 43 (Plut. Num. 13,6), VI 49, P. 131,7. de Acca Larentia cf. Wissowa, Realencykl. p. 131.

bus quaestionibus secutus est atque leves et paucae dissensiones sunt.

Imperatore Tiberio Masurius Sabinus (Macr. I 4,6; 15; 10,5; 8), Iulius Modestus (Macr. I 4,7; 10,9; 16,28), Nisus (Macr. I 12,30), Titus (Macr. I 16,28) de fastis scripserunt. quorum virorum doctrinam et Suetonius, cuius liber „de anno Romano" fons Censorini erat, et Cornelius Labeo (cf. Litt. l.l; Kahl Philol. suppl. V 730), quem Macrobius et Lydus secuti sunt, adhibuerunt. hic autem Elpidianum et Anysium Fastorum scriptores nominot, certe ex Labeonis libro.

Sub Suetonii aetatem haec virorum doctorum eruditio in manualia venit, ex quibus scholiastae et Placidus et Isidorus doctrinam hauserunt raris flosculis ex prato Varriano decerptis ornatam, ut e. g. Placid. libr. Rom. p. 26 s. v. Ianuarius et Isid. V 33 omnia Varronis verilo-quia de mensibus tradunt.

Buchdruckerei Seb. Foppen, Bonn.

VITA

Natus sum Franciscus Henricus Willemsen Crefeldiae die III mensis Octobris anni MDCCCLXXVII patre Henrico matre Guilelma e gente The Kaye adhuc superstitibus. fidei addictus sum catholicae. per novem annos discipulus gymnasii Crefeldensis fui. inde ab anno XCVII usque ad MCMI Bonnae studiis philologicis et historicis incubui. post examen absolutum in gymnasio Novesiensi per XVIII menses docui, deinde miles fui leg. XLII Gryphiswaldiae. ab Aprili mense anni IV Düsseldorpiae in gymnasio regio pueris erudiendis operam do.

Docuerunt me viri docti hi:
de Bezold, Bücheler, Clemen, Drescher, Elter, Klein†, Körte, Litzmann, Loeschcke, Martius, Neuhäuser†, Nissen, Radermacher, Ritter, Solmsen, Strack, Usener†.

ad exercitationes philologicas Bücheler, Elter, Körte, Usener, ad historicas de Bezold, Nissen, Ritter, ad archaeologicas Loeschcke mihi aditum permisit. quibus omnibus viris gratias ago quam maximas.

Pamphlet
Binder
Gaylord Bros.
Makers
Syracuse, N. Y.
PAT. JAN 21, 1908

U. C. BERK
C0466

573210

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY